



**R.P. Leonardii Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censbris.  
Prælectiones Theologicæ Posthvmæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Art. 12. Vtrum furiosi, & amentes debeant baptizari.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://urn.nbn.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

58 Qu. 68. De Suscipientibus Baptismum. Art. 10. Dub. A. 11. 12.

Dominī  
potestas  
maior, quā  
parentis.

placuerit. Confirmatur, Quia patria potestas non minus est in domino, quam in parente: nam dominium includit absolutum ius gubernandi seruum, non minus quam includat potestas patria, sed potius maius, cum pro arbitrio possit eum vendere, quod non potest parens: ergo potest circa illum, quidquid potest parens & amplius.

*Si infante  
nequeas ab  
invito pa-  
rente sepa-  
rare, ne  
baptizet.*

Hic tamen Aduerte Primo, Si nolis, aut nequeas parvulum à parente separare, ob quod panem certum sit ipsum in infidelitate educandum, aut cæromonijs impis contaminandum, non potes ipsum baptizare, excepto necessitatibus casu. Ratio est, Quia id esset contra sanctitatem Sacramenti, & dignitatem religionis Christianæ; & esset periculum apostolice. Vnde Doctores iubent prius separari, quam baptizetur. Idem dicendum videtur de filiis hæreticorum: nempe non esse baptizandos, si non suppetat ratio cauendi, ne à parente peruertantur. Quamvis hoc in praxi non serueretur, fortasse quia spes est illos à Catholicis recte esse instituendos, & quia maiora incommoda timentur.

*Quid fa-  
cies della-  
gio subla-  
tio.*

Aduerte Secundo, Eos qui furtim aut plagiō ablati sunt ex terris infideliū, si possint restituī suis parentibus, sunt illis omnino restituendi absque baptismō. Quod si non possint restituī, debent baptizari, & Christianē educari: nam tunc Principes seu Respublica succedit in ius paternum.

*29  
Puer acrin-  
gens vsum  
rationis,  
potest ba-  
ptizari in-  
uitis pa-  
rentibus.*

Dico Quartō, Cū puer attingit vñ rationis, sic vt videatur posse peccare, potest baptizari, si velit, etiam inuitis parentibus. Ratio est, quia in ijs, que pertinent ad ius naturale & diuinū, non est subiectus parentibus: & simulatque vtitur ratione, incumbit ei cura sua salutis.

D V B I V M.

*Vtrum cēsendus sit verus baptismus, qui infan-  
tibus infidelium confertur inuitis eorum  
parentibus?*

*30  
Durandus  
aliquae  
negantur.*

D Vrandus dist. 4. qu. 7. Paludanus eadem dist. & Catherineus Opusculo de paruulis Iudeorum recipiendis, existimant huiusmodi baptismum esse irritum. Ratio est; Quia baptismus requirit voluntatem baptizati: at paruolorum nulla est voluntas, nisi parentum, qui renituntur: ergo &c.

Sed contraria sententia est ferè communis Doctorum, scilicet esse verum baptismum.

Probatur Primo, Quia sicut nec requiritur fides parentum ad veritatem baptismi, ita nec voluntas.

*Vetus ac-  
fimatur.*

Probatur Secundo, Quia vt Durandus, & alii fatentur, in filiis apostatarum est ratum Baptisma, etiam inuitis parentibus: similiter in filiis mancipiorum. At si voluntas parentum requireretur ad substantiam baptismi, in omni euentu esset necessaria.

Probatur Tertiō, Si infans invito parente afficeretur morte propter Christum, esset verus martyr, quamvis in adulto voluntas requiratur: ergo. Vide D. August. epist. 23. & Bernardum epist. 77.

Probatur Quartō, Peccatum Originale sine omnī consensu contrahitur: ergo & sine consensu expiari potest. Ratio est, Quia tales infantes, etsi, vt iure censeantur baptizati, non habeant aliam voluntatem quam parentum; tamen vt absolute sint baptizati, non requiritur illa externa voluntas: quia baptismus agit per modum causæ naturalis, cui sufficit non inuenire obicem in subiecto cui applicatur, licet in applicatione interueniat iniuria.

ARTICVLVS XI.

*Vtrum in Maternis uteris possint  
baptizari?*

R Esondetur, Non posse; quia non possunt aqua attingi.

Addo tamē, si infans in vtero positus possit alii quo instrumento per obstetricem aspergi, censemetur verè baptizatus, vt notat Frâscus Victoria qu. 32. Dices; Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, hic Dominus insinuat puerum debebere primò nasci: quia, vt D. Augustinus ait epist. 57. Nemo renascitur, nisi iam natus. Respondeo; Non requiritur absolute, vt anteā sit natus per egredionem ex vtero, sed sufficit vt sit natus per egredionem ex nihilo in rerum naturam. Et confirmatur, quia si puer exscinderetur, non diceretur nasci; tamen deberet omnino baptizari.

Notandum hinc Primo, Matrem non esse scandendam, vt infans possit baptizari, nisi sit mortua, vel ob sua criminia à iudice ad hoc condemnatur: quia non sunt facienda mala, vt euaniant bona. Vnde leges ciuiles iubent supplicium matris disserri usque ad partum; vt patet Lege Pragantem. Digestis de pénis.

Notandum Secundo, Remedium, quod hinc ponit Cajetanus, esse vanum, de quo supra diximus art. 9. dub. 1. Duo dumtaxat sunt modi, quibus infans in vtero possit saluari. Primus, Si afficiatur martyrio; ad quod non sufficit matrem occidi propter Christum, sed requiritur, vt etiam infans in odium Christi occidere velint, quod si, si animaduertant illam esse prægnantem. Secundus, Si diuino miraculo in vtero sanctificetur, vt Ioannes Baptista. Nunquam tamē existimandum est, id fieri sine notis externis, quibus id possit deprehendi.

ARTICVLVS XII.

*Vtrum furiosi & amentes debeant  
baptizari?*

V Ide D. Thomam. Solūm notandum est in ijs, qui à nativitate amentes fuerunt, non esse sanam mentem expectandam, sed statim possunt baptizari. Ratio est; Quia sunt instar infantum. Secūs est, si vsus rationis interallum habuerint: tunc enim non possunt baptizari in amentia, nisi anteā cius voluntatem ostenderint.

QVÆ-